Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35461
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

sui, et in etate adhuc puella-
ri. Si cognouerit pater uotum quod
pollicita est, et iuramentum quo
obligauit animam suam, et tacu-
erit voti, rea erit quodcumque
pollicita est, et iurauit opere
implebit. Sin autem statim ut
audiret contradixerit pater, et
vota et iuramenta eius erunt
nec obnoxia tenebitur sponsioni
eo quod contradixerit pater. Si ma-
ritum habuerit, et vouerit aliquid
et semel verbum de ore eius
egrediens animam illius obliga-
uerit iuramento, quo die audi-
erit, vir et non contradixerit,
non rea erit reddet quodcumque
promiserat. Sin autem audiens
et statim contradixerit, et irritas
fecerit pollicitationes eius, verba-
que quibus obstrinxerat animam
suam, propicius erit ei deus. Vi-
dua et repudiata quicquid vo-
uerit reddet. Uxor in domo
viri, cum se voto constrinxerit
et iuramento, si audierit vir
et tacuerit, nec contradixerit spon-
sioni, reddetque quodcumque pro-
miserat. Sin autem extemplo
contradixerit, non tenebitur promissi-
onis rea, quia maritus contradixit,
et dominus propicius ei erit. Si vo-
uerit et iuramento se constrinxerit
ut per ieiunium vel ceterarum rerum
abstinentiam affligat animam suam
in arbitrio viri erit, ut faci-
at siue non faciat. Quod si
audiens vir tacuerit, et in al-
teram diem distulerit sententiam,
quicquid vouerat, atque promiserat
reddat, quia statim ut audiuit
tacuit. Sin autem contradixerit
postquam resciuit portabit ipse
iniquitatem eius. Iste sunt leges
quas constituit dominus moysi
inter virum et uxorem, inter
patrem et filiam, que in puellari
adhuc etate est, vel que ma-
net in domo patris.

Capitulum 31m

Locutusque est dominus ad moysen
dicens. Ulciscere prius filios
israel de madianitis, et sic
colligeris ad populum tuum. Sta-
timque moyses. Armate in-
quit viros ex vobis ad pugnam
qui possint ultionem domini ex pe-
tere de madianitis. Mille vi-
ri ex singulis tribubus eligantur
israel, qui ad bellum mittantur. De-
deruntque millenos de cunctis
tribubus, id est xii milia, expe-
ditorum ad pugnam. Quos mi-
sit moyses cum finees filio
eleazari sacerdotis. Uasa
quoque sancta et tubas ad clan-
gendum dedit ei. Cumque pug-
nassent contra madianitas atque
vicissent, omnes mares occide-
runt et reges eorum. Eui et
recem, et sur, et hur, et
rebe quinque principes gentis.
Balaam quoque filium beor inter-
fecerunt gladio. Ceperuntque mu-
lieres eorum et paruulos, omniaque
pecora, et cunctam supellectilem
quicquid habere potuerant depo-
pulati sunt. Tam urbes quam
viculos, et castella flamma con-
sumpsit. Et tulerunt predam et
uniuersa, que ceperant, tam
ex hominibus quam ex iumentis, et
adduxerunt ad moysen, et
ad eleazarum sacerdotem, et ad omnem
multitudinem filiorum israel. Reli-
qua etiam utensilia portauerunt
ad castra in campestribus moab
iuxta iordanem contra iericho.